HIERONYMUS
Salzburg, Ende 11. Jh. Seite 110r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26080
Copyright: Admont, Benediktinerstift



dimicem⁹. Queram & aliud. Si qs ante baptismum habuerit concubinam. & illa mortua
baptizatus uxorem duxerit. utrum clericus fieri debeat annon. Respondebis posse
fieri. quia concubinam habuerit non uxorem. Ciugales quoque tabulae et iura dotalia non coitus
ab apostolo condempnantur. Multos uidemus ob nimiam paupertatem uxorum sarcinam declina
re et ancillas suas habere pro uxoribus susceptosque ex his liberos colere ut proprios.
Si forte ditati ab imperatore stolam illis meruerint. confestim apostolo colla sub
mittet. & inuitus inter uxores eas recipere coget. Sin autem principale rescriptum
eadem tenuitas impetrare non quiuerit. cum romanis legibus seita ecclesiae mutabuntur.
Vnde ne hoc quod dicitur unius uxoris uirum unius mulieris possit intellegi. ut ad coi
tum magis referatur quam ad dotales tabulas. haec uniuersa proferimus. non quo uere
& simplici intellegentiae resistamus. sed ut doceamus te scripturas sanctas sic intellegere
ut scriptae sunt. Nec euacuare baptismum saluatoris. & totum patibuli sacramentum
irritum facere. Reddamus quod paulo ante promisimus. & de scola rhetorum aquarum
laudes & baptismi praedicemus. Rudis mundus necdum sole rutilante. nec
pallente luna. nec astris micantibus incompositam & inuisibilem materiem. abys
sorum magnitudine & deformibus tenebris opprimebat. solum spiritus dei in aurige
modum. super aquas ferebatur. & nascentem mundum in figura baptismi parturie
bat. Inter caelum et terram medium extruitur firmamentum. & iuxta hebraici sermo
nis ΕΘΙΜΟΛΟΓΙΑΝ (echimologiam). caelum id est samaim ex aquis sortitur uocabulum. Et aquae quae
super caelos sunt in laudes domini separantur. Vnde et in ezechiel christallum super cherubim
uidetur extentum. idem compactae & densiores aquae. Primum de aquis quod uiuat
egreditur. & pennatos fideles de terra ad caelum leuat. Fabricatur mundus. ho
mo de limo. & inter manus dei aquarum sacramenta uersantur. Plantatur paradisus
in eden. & unus fons in iiii. principia diuiditur. Qui postea egrediens de
templo & contra solis ortum uadens. amaras aquas mortuosque uiuificat. Pec
cat mundus. & sine aquarum diluuio non purgatur. Statimque columba spiritus sancti